



Acte régulant le passage des hommes et biens de Devesset par Saint-Agrève

Virgile Reignier

► To cite this version:

Virgile Reignier. Acte régulant le passage des hommes et biens de Devesset par Saint-Agrève. Mémoire d'Ardèche, temps présent, 2022, 156, Supplément en ligne. hal-04195196

HAL Id: hal-04195196

<https://hal.science/hal-04195196>

Submitted on 4 Sep 2023

HAL is a multi-disciplinary open access archive for the deposit and dissemination of scientific research documents, whether they are published or not. The documents may come from teaching and research institutions in France or abroad, or from public or private research centers.

L'archive ouverte pluridisciplinaire **HAL**, est destinée au dépôt et à la diffusion de documents scientifiques de niveau recherche, publiés ou non, émanant des établissements d'enseignement et de recherche français ou étrangers, des laboratoires publics ou privés.

Acte régulant le passage des hommes et biens de Devesset par Saint-Agrève

1327, 6 juin. – Berthoux

Accord entre Guillaume Rocheta, baile du castrum de Saint-Agrève et procureur d'Armand de Polignac et d'Eustache de Lamastre, seigneurs de ce castrum, et Renaud de Fay, commandeur de Devesset, au sujet des droits de circulation des hommes et des troupeaux de Devesset dans le castrum et le mandement de Saint-Agrève.

Acte suivi des ratifications par :

Armand de Polignac le 22 juin 1328,

Eustache de Lamastre le 22 juin 1328,

Catherine de Bouzols, femme d'Armand de Polignac, le 28 août 1331,

Les hommes de Devesset le 31 janvier 1332,

Guillaume sous Ville Neuve de Devesset dans les jours ou semaines suivants,

Jean de Las Chalins de Chaumargeais le 28 mai 1335,

Jacques de Fay de Chaumargeais le 29 mai 1335,

Jean Verilhati de Chaumargeais le 29 mai 1335.

A. Expédition originale [1336-1340...], par le notaire Pierre *Aribertui* d'après les minutes à lui confiées du notaire André Garralis, décédé, rouleau de deux peaux de parchemin, larg. 550 x haut. 1390 mm, en mauvais état, AD69, 48 H 1669.

B. Autre expédition [... 1340-1350 ...], par un notaire au nom inconnu et son substitut Pierre Girard, d'après les minutes du notaire André *Garralis*, décédé, pièce de parchemin, en mauvais état, AD69, 48 H 1671-3 (1).

C. Copie sur feuilles de papier [début du XVIII^e siècle], AD69, 48 H 1671-4.

Les nombreuses lacunes de A ont été complétées
à partir de B (en gras) et de C (en gras et souligné).

1. L'acte comporte la formule d'authentification suivante : « De quibus notis hoc presens publicum instrumentum extrahi, scribi et grossari feci per Petrum Girardi clericum substitutum et juratum meum, auctoritate regia michi commissa et concessa, facta collatione de nota cum hoc presenti publico instrumento et curialibus [...]. [Datum] ut supra. (Changement d'écriture) Cui ego jam dictus notarius manu mea propria subscripti signoque meo signavi et sigillo regio predicto sigillavi, debuit in firmitatem [omnium] premissorum (seing manuel) ». Le sens de « debuit » est ici peu clair.

« [1] Noverint universi et singuli presentes pariter et futuri hoc presens publicum instrumentum inspecturi et audituri, quod anno ab Incarnatione Domini millesimo trecentesimo **vigesimo septimo, die vero** sexta men-[2]-sis **junii, inclito principe domino Karolo Dei gratia rege Francorum et Navarre regnante**, cum inter nobilem Guillermum Rocheta domicellum, baiulum castri Sancti Agrippavi, **procuratorem** etiam et nomine **procuratorio** nobilium [3] virorum domini **Armandi vicecomitis Podempniaci militis** et Heustachii de Mastra domicelli, dominorum castri Sancti Agrippavi, ut dicebat, ex una parte, et venerabilem et religiosum virum **fratrem Renaudum** de Fayno, or-[4]-dinis Hospitalis Sancti **Johannis Iherosolomitani, preceptorem castri** ac domus Devesseti nomine suo ac dicte domus Devesseti et hominum suorum et dicte domus Devesseti et **prioris, ex parte altera, orta** fuisse discordia, controversia et questionis [5] materia super eo **videlicet quod dictus nobilis Guillermus Rocheta nomine procuratorio** quo supra petebat et exigebat pedacgium et polvoracgium ab hominibus dicti **domini preceptoris et domus predicte** de Devesseto transentibus per villam [6] Sancti Agrippavi et **ejus mandamentum ducentibus bestias** omnis seu alias quascumque quicunque dicti homines seu aliqui ipsum transitum suum faciebant per loca predicta cum **animalibus quibuscumque**, pro quibus et de quibus **consuetum est** levare [7] pedacgium et **polvoracgium apud Sanctum Agrippavum** per dominos dicti loci seu deputatos ab eis dicto domino preceptore nomine suo et dicte domus Devesseti et hominum suorum et dicte domus et **pro ipsis. In contrarium dicente** [dominus prior quod ipsi] homi-[8]-nes suos et **dicte domus** Devesseti minime **tenere solvere, dare** et prestare nec etiam debere dare, prestare et solvere pedacgium et polvoracgium apud Sanctum Agrippavum et in ejus **mandamento pro quacumque ratione occasione** [...] [9] [...] et **immunes apud Sanctum Agrippavum** et in ejus **mandamento ab omni exactione**, prestatione et solutione pedacgii et polvoracgii quorūcumque.

Tandem dicte partes constitute in presentia notarii et testium **infrascriptorum**, non errans [in] [10] [aliquo nec] **decepte** set bene certe et certificate, videlicet **dictus nobilis Guillermus Rocheta de jure dictorum** dominorum Sancti Agrippavi, quorum est procurator, et bene premeditatus, ut dicebat, et dictus **dominus preceptor de jure** suo et **dicte** [11] **domus Devesseti** et hominum suorum et dicte domus Devesseti et bene premeditatus, ut dicebat, super discordia, controvertia et questionis predictis et super quibusdam aliis articulis infrascriptis cupientes [...] super amicabili-[12]-**ter expensas et anfractus litium** et jurgiorum materiam evitare, super eisdem sollempniter transagendo concordaverunt nominibus quibus supra, pacificaverunt et transegerunt per modum qui sequitur infrascriptum.

In primis, ex causa sollepnis [13] **transactionis**,

convenerunt inter se dicte partes **nominibus quibus supra quod idem dictus preceptor**, fratres et donati dicte domus Devesseti et eorum successores perpetuo sint quitti, liberi et immunes apud Sanctum Agrippavum et in toto mandamento **ejusdem** [14] **ab omni prestatione, exactione** et solutione pedacgii, leyde et **polvoracgii** cui[buscumque] et quod per se vel per alium seu alios possint transire **et** transitum suum facere pure et libere per castrum Sancti Agrippavi et ejus mandamentum cum **anima-[15]-libus** suis et **ductore si quod** conducebant seu locabant in **Rippia** vel alibi pro fimandis terris grangiarum de Malodie sive *Del Chalfalt*, de Arcelleto, de Chauleto, et de Champanhis sine solutione seu prestatione pedacgii et polv[orac]-[16]-[gi] **quorūcumque** et insuper possint et ipsos liceat pure et libere blata (sic) sua vendere et animalia quecumque emere apud Sanctum Agrippavum et in mandamento ejusdem absque prestatione seu solutione leyde cujuscumque.

Item **convenerunt inter** [17] **se dicte partes nominibus quibus supra** ex causa sollepnis transactionis quod homines dicte domus Devesseti pro quolibet trentenario averis ab uno usque ad summam quinque trenteniorum et dimidium transente per villam Sancti Agrippavi et in **ejus** [18] **mandamentum si quod** locabant et adducebant de rippia causa fimandi terras suas dare et solvere debeant ac etiam teneantur dictis dominis Sancti Agrippavi ratione pedacgii tres denarios turonenses. Hoc acto quod de trentenaris [...] [19] **nihil dare teneantur**. Si vero dictum avere exedere contigeret summam quinque trenteniorum et dimidi, quantumcumque sit seu esse poterit, quod pro quolibet ovili quod exinde facerent de ipso avere dicti homines et quilibet ipsorum, dare et **solvare teneantur** [20] **et debeant dictis dominis** ratione polvoracgii duos solidos et semis turonensem et eorum baiulis unum caseum.

Item convenerunt inter se dicte partes nominibus quibus supra ex causa sollepnis **transactionis** quod homines predicti et **dicte domus [De]vesseti** [21] **et quilibet ipsorum** possint et ipsos liceat transire pure et libere et transitum suum facere per castrum Sancti Agrippavi et ejus mandamentum cum animalibus suis propriis et eorum **hospicio Scurchelcis** (2) [...] [22] **placuerit faciendum** absque prestatione seu solutione pedacgii. Hoc salvo et retento quod si sunt aliqui de predictis hominibus qui teneant denariatas quascumque ad vendendum et ipsi **vel alicui ipsorum transitum suum facerent per castrum Sancti** [23] **Agrippavi** **seu** ejus mandamentum cum dictis denariatis, tunc in illo casu pro qualibet saumata unum denarium turonensem ratione pedacgii dictis dominis dare et solvere teneantur. Aliter **pedacgium apud [Sanctum] Agrip-pavum seu in ejus mandamento** [24] **dare et solvere** minime debeant nec etiam teneantur preter quam in casibus superius memoratis.

2. Le mot semble avoir été ajouté postérieurement à C par une autre main. D'une lecture difficile, il ne renvoie à rien qui nous soit connu dans le contexte étudié.

Item convenerunt inter se dicte partes nominibus quibus supra ex causa sollepnis transactionis **quod servientes castri Devesseti et quilibet ipsorum qui nunc [25] sunt vel qui** pro tempore fuerint possint **portare** arma sua per villam Sancti Agrippavi et **ejus** mandamentum eundo et redeundo, sine offensa tamen aliqui facienda. Hoc acto et **adjuncto quod cum villam Sancti Agrippavi intraverint et [26] moram ibidem** facere vellent, tunc in eo casu quo ibidem moram facerent dicta arma ponere debeant in quadam domo in qua notitiam habeant et ibidem dimitere **teneantur** [...] [-]rint [27] **gressus suos**.

Item convenerunt inter se dicte partes nominibus quibus supra ex causa sollepnis transactionis quod, si servientes et familiares curie castri Devesseti caperent aliquem delatum **qui in terra et jurisdictione dicti castri Devesseti** [28] aliquid commisisset et ipsum ducere vellent versus Devessetum pro justitia ibidem facienda de eodem, de et super hiis de quibus delatus esset in jurisdictione dicti castri Devesseti, **tunc in illo casu dicti [servientes] castri Devesseti** [29] qui nunc sunt vel qui pro tempore fuerint dictum delatum transire possint per mandamentum et villam Sancti Agrippavi, omni impedimento cessante, ita tamen quod dictum delatum baiulis **seu curialibus Sancti Agrippavi remitere teneantur** [30] et debeant. Et, facta remissione de dicto delato ut premissum est, baiuli ipsi castri Sancti Agrippavi seu curiales dicti castri incontinenter et sine aliquo intervallo **delatum** servientibus seu curialibus **curie castri Devesseti in fine** [31] mandamenti castri Sancti Agrippavi reddere et deliberare debeant ac etiam teneantur omnibus exceptionibus et allegationibus postpositis et remotis. Et si contigeret aliquo casu quod curiales Devesseti non [...] **[Sanctum] Agrippavum** [32] aliquem de curialibus dicti loci cui facerent remissionem de dicto delato, quod in eo casu dictum delatum ducere debeant in platea Sancti Agrippavi, et ibidem presentare se paratos remittere dictum delatum si **idem** [...] [33] dicti castri Sancti Agrippavi ipsum reciperet. Quo facto, predicti curiales Devesseti predictum delatum secum ducere possint et debeant pure, libere et impune, et etiam omni impedimento cessante. Si vero **contigeret dictum delatum aliquid de-[34]-linquisse** in jurisdictione castri Sancti Agrippavi et idem delatus propter delictum commissum per eum in jurisdictione castri Devesseti minime judicaretur ad mortem per judicem curie castri Devesseti, **tunc in casu** [servientes seu curiales] [35] castri Devesseti dictum delatum remittere debeant dominis Sancti Agrippavi seu eorum curialibus in fine mandamenti castri Devesseti, facta prius executione de eodem per curiales Devesseti de hiis qui ad ipsos pertinent (3).

Item **convenerunt inter se** [36] dicte partes nominibus quibus supra ex causa sollepnis transactionis quod dictus Guillermus Rocheta procuret et procurare beat ac etiam teneatur cum effectu quod domini Sancti Agrippavi predicti ac etiam domina vicecomi-

tissa **Podempnaci** [37] et simplicem requisitionem dicti domini preceptoris seu ejus certi mandati hanc presentem transactionem et omnia et singula supradicta in hoc presenti publico instrumento contenta laudent, approbent et confirment ac **etiam** [...] [38] in eisdem cum sollempnitate qua decet et quod dictus dominus preceptor procuret etiam cum effectu quod homines domus Devesseti faciant illud idem et etiam fieri faciat hoc idem per dominum priorem Alvernie prioratus ad **solan** [et simpli]-[39]-cem requisitionem dictorum dominorum Sancti Agrippavi seu eorum certi mandati.

Hanc vero transactionem et omnia et singula supradicta et infrascripta in hoc presenti publico instrumento contenta secundum quod melius, sanius et firmius **possunt dic-[40]-tari**, incartari, scribi, intelligi sive dici ad tollendum et removendum in futurum omnem oscuritatem et omne dubium promiserunt dicte partes nominibus quibus supra sub pena quinquaginta librarum turonensium **ratione** [...] [41] per partem inhobedientem parti obedienti quotiens contra predicta vel aliqua de predictis faceret in aliquo vel veniret et super sanctis Dei euangelii ab ipsis corporaliter tactis juraverunt attendere perpetuo et illibate ; volentes [etiam] [42] dicte partes se posse et debere compelli ad attendendum et complendum omnia et singula supradicta per curiam et curiales dicti domini nostri regis, omnibus exceptiōibus, deffentionibus et juris allegationibus postpositis et rem[otis] [...] [43] Guillermus Rocheta per bonorum dominorum castri Sancti Agrippavi predictorum quorum est procurator, ut dicebat, et dictus dominus preceptor per bonorum suorum captionem, distractionem, saysinam et venditionem, in quam et quos consentierunt **tamquam in suos judi-[44]-ces ordinarios et se et omnia bona predicta jurisdictioni, districtui, compunctioni et cohortioni eorumdem, necnon et vigori, districtui et cohortioni sigilli regii in bayllivia Vallavie auctoritate regia constituti supposuerunt **pro predictis omnibus et** [45] singulis attendendis et complendis cum omni **juris renunciatione** ad predicta necessaria pariter et cautela. Acta fuerunt hec apud Bertos, anno et die predictis, in quodam orto **juxta** villam dicti loci, testibus presentibus fratribus dominis de [46] Solerio et Raynaudo de Fayno ordinis Hospitalis predicti, Raymundo de Villa Nova domicello, Petro Dulcis, Guillermo de Ruppe, Bonafide Textoris et notario publico regio infrascripto, per quem de predictis **dicte partes** [47] ad invicem concesserunt fieri earum cuilibet publicum et ejusdem tenoris instrumentum.**

Post hec, anno Domini millesimo trecentesimo vice-simo octavo, videlicet die vicesima secunda mensis junii, **inclito principe domino Philippo Dei gra-[48]-tia** rege Francorum regnante, in presentia notarii et testium infrascriptorum personaliter constitutus vir nobilis et potens dominus Armandus vicecomes **Podepnaci**, miles, dominus in parte castri **[Sancti Agrippavi]**, non errans [49] in aliquo nec deceptus set bene certus et certificatus de predictis et etiam de jure suo et

3. B ajoute : « [...] omni impedimento cessante ».

bene premeditatus, ut dicebat, per se suosque heredes et sucessores predictam **transactionem et omnia et singula supradicta in hoc pre-[50]-senti** publico instrumento contenta laudavit, approbavit, ratificavit et confirmavit et etiam grata habuit et in eis consentiit. Et universa omnia et singula supradicta promisit sub [ypotheca et obligatione omnium bonorum suorum] [51] et super sanctis Dei euvangeliis ab ipso corporaliter sponte tactis juravit attendere et contra per se vel per alium non venire ; quod si faceret, quod absit, voluit et concessit **quod nullathenus audiatur, set quod omnis audientia in judi-[52]-cio et extra eidem denegetur tamquam venienti contra suum proprium factum** ac etiam juramentum ; volens et concedens dictus dominus vicecomes se posse compelli ad attendendum **predicta per curiam et curiales dicti domini [53] nostri regis, omnibus exceptionibus, deffensionibus et juris allegationibus postpositis et remotis,** videlicet per bonorum suorum captionem, distractionem, saysinam et venditionem, **in quam et quos consentiit tamquam in suos judices ordinarios [54]** et se et **omnia bona sua jurisdictioni, districtui, compulsioni et coherctioni** eorumdem sub sigillo regio predicto supposuit pro predictis omnibus et singulis attendendis, **complendis et [inviolabiliter] observendis cum omni juris renun-[55]-tatione ad predicta necessaria pariter et cautela.** Acta fuerunt hec apud Sanctum Agrippavum, in hospicio Guillermi Rocheta domicelli, anno et die supra proximis, testibus hiis presentibus domino **Guillermo de Senareto milite, domino Mattheo Sabbo-[56]-ti rectore ecclesie Sancti [Agrippavi], [...] [Matheo]** Runerii et notario infrascripto, per quem de predictis dictus dominus vicecomes petuit sibi fieri publicum instrumentum.

Post hec, anno et die supra proximis, [57] eodem domino Philippo rege Francorum regnante, in presencia mei notarii predicti et testium infrascriptorum personaliter constitutus vir nobilis Heustachius de Mastra, dominus de Bastia et pro parte castri Sancti Agrippavi, non errans in aliquo nec deceptus [58] set bene certus et certificatus de jure suo et omnibus et singulis supradictis et bene premeditatus, ut dicebat, per se suosque heredes et sucessores predictam transactionem et omnia et singula [supradicta] in hoc presenti publico instrumento contenta faciendum quod melius, sanius et firmius possunt scribi, dictari, incartari, intelligi sive dici ad tollendum [59] et removendum in futurum omnem oscuritatem, litem seu questionem et omne dubium [laudavit], approbavit, ratificavit et confir[mavit] et predicta [omnia] grata [habuit at]que [rata] et in eis consentiit. Et predicta omnia attendere [60] promisit bona fide sub hypotheca et obligatione omnium bonorum suorum et super sanctis Dei euvangeliis ab ipso corporaliter sponte tactis [61] juravit et contra non [venire] per se [vel per] alium ; quod si faceret, quod absit, voluit [et con]cessit quod in judicio et [extra] nullathenus audiatur, set quod omnis audientia sibi denegetur tamquam venienti contra suum proprium factum ac etiam [62] juramentum ; volens et concedens dictus dominus de Bastia se posse et debere compelli ad attenden-

dum predicta per curiam et curiales predicti domini nostri regis, omnibus exceptionibus, deffensionibus et juris allegationibus postpositis et remotis, vide-[63]-lacet per bonorum suorum captionem, distractionem, saysinam et venditionem, in quam et quos consentiit tamquam in suos judices ordinarios et se et **omnia bona sua jurisdictioni, compulsioni, districtui et coherctioni** eorumdem, necnon et **vigori ac dis-[64]-trictui** dicti **sigilli regii supposuit** pro predictis omnibus et singulis attendendis, complendis et inviolabiler observandis cum omni juris renunciantione ad predicta necessaria pariter et cautela. Acta fuerunt hec anno et die supra [65] proximis apud Sanctum Agrippavum, in forrello Petronille Armandona, testibus hiis presentibus magistro Petro de Sancto Vincentio notario regio, Guillermo Fumati, Petro Aribertii, Guillermo **La Ravasse [et] notario** [66] regio infrascripto, per quem de predictis omnibus et singulis dictus dominus de Bastia petuit sibi fieri publicum instrumentum.

Post hec, anno Domini millesimo trecentesimo tricessimo primo, videlicet die **vicesima octava mensis** [67] augusti, dicto domino Philippo rege Francorum regnante, in presencia notarii et testium infrascriptorum personaliter constituta nobilis et potens domina Katerina de Bousolio, censors viri nobilis et **potentis domini Ar-[68]-mandi vicecomitis Podepniaci, militis, non errans in aliquo nec decepta set bene certa et certificata de jure suo et omnibus et singulis supradictis et bene premeditata, ut dicebat, per se suos[que heredes et successores], [69] de et cum consensu, voluntate et assensu dicti domini vicecomitis mariti sui presentis ibidem, quod etiam verum esse dicebat, predictam transactionem et omnia et singula supradicta in hoc [presenti] publico instrumento [70] contenta laudavit, approbavit, ratificavit et confirmavit. Et predicta omnia attendere promisit bona fide sub hypotheca et obligatione omnium bonorum suorum et super sanctis Dei euvangeliis ab **ipsis corporaliter sponte tactis** [71] juravit et etiam contra non venire per se vel per alium ; quod si faceret, quod absit, voluit et concessit quod in judicio et extra nullathenus audiatur, set quod omnis audientia **eidem denegari [valeat] tamquam venientia-[72]-ti** contra suum proprium factum ac etiam juramentum ; volens et concedens dicta domina Katerina se posse et debere compelli ad attendendum predicta per curiam et curiales dicti domini nostri regis, omnibus exceptionibus, [73] deffensionibus et juris allegationibus postpositis et remotis, videlicet per bonorum suorum captionem, distractionem, saysinam et venditionem, in quam et quos [consentit] tamquam in suos judices ordinarios et se et [74] omnia bona sua jurisdictioni, districtui, compulsioni et coherctioni eorumdem sub sigillo regio predicto supposuit pro predictis omnibus et singulis attendendis et perpetuo observandis cum **omni juris renuncia-[75]-tione** ad predicta necessaria pariter et cautela. Acta fuerunt hec apud Sanctum Agrippavum, in hospicio Guillermi Rocheta, anno et die **supra proximis, testibus hiis presentibus dominis Vitale Vicesseri** [76] et Andrea Garralis presbiteris, Guillermo de Chambarlhaco domicello et magistro Andrea Garrallis notario regio infrascripto, per quem de**

predictis **omnibus et singulis dicta domina Katerina petiit** [77] sibi fieri publicum instrumentum.

Post hec, anno Domini quo supra et die ultima mensis jannuarii, dicto domino Philippo rege Francorum regnante, in presentia notarii predicti et **testium infrascriptorum personaliter** [78] constituti Petrus La Rocha, Armandus de Ruppe, Johannes filius Guillermi de Ruppe condam, Peyruchonus Duneyra de Ruppe, Petrus Rotbandi pro se et Matheo et Michaele **ejus fratribus, Guillermus Traussat** [79] de Raschassoco pro se et Gregorio ejus fratre, Vitalonus Blachoni de Raschassoco pro se et Petro ejus fratre, Gregorius Blachoni, Michael Blachoni, Stephanus Columbi pro se et Poncio Columbi ejus fratre de Raschassoco, Johannes de Aulanherio et **Guillermus ejus** [80] frater, Andreas Giri de Vileta, Petrus de Rivieria pro se et Michaele et Johanne ejus fratribus, Antonius de Chabanaas, Poncius de Croso, Andreas de Croso pro se et Peyruchono et **Andrenono ejus** [81] fratribus, Martinus de la Costa et Pascalis de la Costa pro se et Johanne eorum nepote, Johannes de Jarrias et Bartholomeus de Jarrias, Andreas de Jalibertas pro se et **Johanne ejus fratre**, [82] Jacobus de la Valleta, Poncius filius Hugonis de la Valleta, Vitalis de Spayetis pro se et Jacobo de Spayetis et Johanna filia Johannis de Spayetis condam, Giraudus de Bargiis pro se et **Katerina** [83] ejus sorore et Guigone filio Bartholomei de Bargiis condam, Jacobus de Filatrama pro se et Arnaudo ejus fratre, Petrus de Montabonello, Jacobus Tavani pro se et Andrea et **Micheale ejus** [84] fratribus, Bonafides Del Sape pro se et Bartholomeo ejus fratre, Johannes de Chanicos sive de Podio Brunent, Guillermus de Garaytz, Johannes Del Feu pro se et Gregorio **ejus fratre, Poncius** [85] de Chanils pro se et Johanne ejus fratre, Jacobus de Chanils pro se et Jacobo ejus nepote, Armandus de Bertos, Girardonus de **Bertos**, Michael de Bertos pro se et Guillermo **ejus fratre, Johannes** [86] et Peyruchonus Pastorelli de Bertos fratres, Johannes de Figidis Parietibus, Peyruchonus Roerii de Ruppe pro se et Bartholomeo ejus fratre ac Guillermo Barthi ejus avunculo, **Vitalis Verilhati pro** [87] se et Durando ejus consanguineo, Johannes Jordani, Vitalis de Garaytz de Villa Nova, Johannes Pelhisserii, Guillermus Pelhicerii, Gregorius Pelhicerii pro se et fratribus suis, **Petrus Pelhicerii pro se** [88] et Clemente Pelhicerii de Malagayta, **Andreas de Ruela**, Durandus Chantayres dicti loci, Petronilla Conha pro se et liberis suis, Johannes Garaytonis, Michaletus **Salvarel et Johannes de Bargiis, Petrus** [89] de Bargiis et Guillermus de Ruella pro se et Girardo ejus fratre, homines licgii, ut dicebant, dicti domini preceptoris ac domus predice de Deveceto (sic), omnes **insimul et quilibet eorum pro se et quibus** [90] supra nominibus singulariter, singuli et particulariter, pro se et suis heredibus ac successoribus universis, certificati primitus de omnibus et singulis supradictis predictam [transactionem] et **omnia et** [91] singula supradicta laudaverunt, approbaverunt, grata et rata habuerunt et in eis consentierunt. Et pre-

dicta omnia et singula promisserunt sub hypotheca et **obligatione omnium bonorum suorum** et [92] super sanctis Dei euangeliis ab ipsis et eorum quolibet corporaliter sponte tactis juraverunt attendere et inviolabiliter observare et contra numquam facere vel **venire**; [quod si faceret, quod] **absit**, [93] voluerunt et concederunt **quod in** judicio et extra nullathenus audiantur, set quod eis et eorum cuilibet omnis audientia denegari valeat tamquam venientibus **contra eorum facta propria ac etiam** [94] juramenta; volentes et concedentes omnes prenominati et eorum quilibet per se se posse et debere compelli ad attendendum omnia et singula supradicta per **curiam ordinariam dicti** [domini nostri] [95] regis, omnibus exceptionibus, defentionibus et juris allegationibus postpositis et remotis, videlicet per bonorum suorum captionem, distractionem, saysinam et **venditionem, in quam et quos** [96] consentierunt tamquam in suos judices **ordinarios** et se et omnia bona sua juridictioni, districtui, compulsioni et cohortioni eorumdem sub sigillo regio predicto [supposuerunt pro] [97] predictis omnibus et **singulis attendendis et perpetuo ac inviolabiliter** observandis cum omni juris renunciatione ad predicta necessaria pariter et cautela. Acta fuerunt hec apud [98] **Bertos, juxta grangiam Armandeti dicti loci, anno quo supra** et die supra proxima, testibus hiis presentibus Austorgio de Layreset, Johanne Chalvayronis, Petro Dulcis, Guillermo [...] [et] **no-[99]-tarior** [publico] **regio infrascripto**, per **quem [de predictis] frater Raymundus** Alamandi ordinis Hospitalis predicti petiit et predicti homines sibi concederunt ac etiam petierunt **sibi fieri** [100] et **etiam concessunt fieri publicum instrumentum et publica instrumenta** ad utilitatem et comodum dominorum castri Sancti Agrippavi predictorum.

Post hec, anno **Domini quo supra et die decima** [101] [...] [dicto domino Philippo rege Francorum] regnante, in presentia notarii supradicti et testium infrascriptorum personaliter constitutus Guillermus (4) **sub de Villa Nova Devesseti, homo licgius dicti domini preceptor et domus Devesseti predicti**, [102] certificatus de omnibus et singulis supradictis, pro se et suis heredibus et successoribus universis **predictam transactionem et omnia et singula** [supradicta laudavit et approbavit, grata et rata] [103] **habuit et** in eis consentiit. Et predicta omnia et singula promisit sub hypotheca et obligatione **omnium bonorum suorum et super sanctis Dei euangeliis ab ipso corporaliter sponte tactis juravit attendere** [104] et contra non venire; quod si faceret, quod absit, voluit et concessit quod in judicio et **extra nullathenus audiatur, set quod omnis** [audientia sibi denegari valeat tamquam venienti] [105] **contra** suum proprium factum ac etiam juramentum; volens et concedens se posse compelli **ad attendendum predicta per curiam et curiales dicti domini nostri regis, in quam et quos consentiit** [106] tamquam in suos judices ordinarios et se et omnia bona sua juridictioni, districtui, compulsioni et cohortioni eorumdem sub sigillo regio predicto **supposuit pro predictis omnibus et sin-**

4. On attendrait ici « de ».

gulis attendendis [107] et perpetuo ac inviolabiliter observandis cum omni juris renunciatione ad predicta necessaria pariter et cautela. [108] **Acta fuerunt hec in fracta Sancti Agrippavi, juxta hospicio** Johannis Garralis, testibus **hiis** presentibus Johanne Garralis, Johanne Massoni de Romeriis, Stephano Baiuli et notario publico **regio predicto**, [109] per quem de **predictis omnibus et singulis dictus Guillermus** petiit sibi fieri et etiam concessit fieri publicum instrumentum ad utilitatem et comodum **dominorum** Sancti **Agrippavi predictorum**.

[110] Post hec, anno Domini **millesimo trecentesimo tricesimo quinto**, videlicet die vicesima octava mensis mayii, dicto domino Philippo rege Francorum regnante, in presentia notarii et testium **infrascriptorum** [111] personaliter constitutus Johannes de *Las Chalins de Chalmariays*, certificatus de omnibus et singulis supradictis, pro se et suis heredibus ac successoribus universis predictam **transactionem et omnia et singula supra**-[112]-radicta laudavit et approbavit, **grata** et rata habuit et in eis consentiit. Et predicta omnia et singula promisit bona fide sub hypotheca et obligatione omnium bonorum suorum et super sanctis Dei **euvangeliis** [113] ab ipso corporaliter sponte tactis juravit attendere et contra non venire ; quod si faceret, quod absit, voluit et concessit quod in judicio et extra nullathenus audiatur, set quod omnis audientia sibi **denegari** [114] valeat tamquam venienti contra suum proprium factum ac etiam juramentum ; volens et concedens dictus Johannes se posse et debere compelli ad attendendum omnia supradicta per curiam et curiales dicti domini [115] nostri regis Francorum, videlicet per bonorum suorum captionem, distractionem, saysinam et venditionem, in quam et quos consentiit tamquam in suos judices ordinarios et se et omnia bona sua **juridictioni**, **districti**-[116]-tui, compulsioni et cohortioni eorumdem sub sigillo regio predicto supposuit pro predictis cum omni juris renunciatione ad predicta necessaria pariter et cautela. Acta fuerunt hec **apud Sanctum Agrippavum**, [117] in hospitio Guillermi Ariburui notarii regii, anno et die supra proximis, testibus hiis presentibus Guillermo Ariburui predicto, Matheo Runerii predicto, Bonafide Textoris et notario [publico] **regio infra**-[118]-scripto, per quem de predictis dictus Johannes petiit sibi fieri **et etiam** concessit fieri publicum instrumentum ad opus ipsius et dominorum castri Sancti Agrippavi predictorum.

Post **hec, anno Domini** [119] quo supra, videlicet die vicesima nova mensis mayii, dicto domino Philippo rege Francorum regnante, in presentia notarii et testium **infrascriptorum** personaliter constitutus Jacobus **Fayni de Chalmariays**, certi-[120]-ficatus ad plenum de omnibus et singulis supradictis, pro se et suis heredibus ac successoribus universis predictam transactionem et omnia et singula supradicta laudavit, approbavit **et ratificavit** [121] et in eis consentiit. Et predicta omnia attendere et servare promisit sub hypotheca et obliga-

tione omnium bonorum suorum et super sanctis Dei euangeliis ab ipso corporaliter **tactis juravit et contra non venire ; quod** [122] si faceret, quod absit, voluit et concessit quod in judicio nullathenus audiatur, set quod omnis audientia sibi denegari valeat tamquam venienti contra suum proprium factum ac etiam **juramentum** ; **volens et con-**-[123]-cedens dictus Jacobus se posse et debere compelli (5) attendendum omnia et singula supradicta per curiam et curiales dicti domini nostri regis, videlicet per bonorum suorum captionem, distractionem, saysinam et **venditionem**, **in quam** [124] et quos consentiit tamquam in suos judices ordinarios et se et omnia et singula bona sua juridictioni, districtui, compulsioni et cohortioni eorumdem sub sub (sic) sigillo regio predicto **supposuit pro pre**-[125]-dictis omnibus et singulis attendendis et inviolabiliter observandis cum omni juris renunciatione ad predicta necessaria pariter et cautela. Acta fuerunt hec apud Sanctum **Agrippavum, in hospicio mei** [126] notarii supra et infra scripti, anno et die supra proximis, testibus hiis presentibus Raymundo de Sahnna domicello, dominis Humberto de Sorberio canonico Charasii et Bonifacio de **Pozato presbiteris** [127] et notario publico regio infrascripto, per quem de predictis dictus Jacobus sibi fieri petiit et etiam fieri concessit publicum instrumentum ad opus ejusdem et dominorum castri Sancti **Agrippavi pre**-[128]-dictorum.

Post hec, anno, die, loco et testibus quibus supra proximis, dicto domino Philippo rege Francorum regnante, in presentia notarii supra et infra scripti et testium proxime dictorum **personnaliter** [constitus] [129] Johannes Verilhati de Chalmariays, certificatus ad plenum, ut dicebat, de omnibus et singulis supradictis, pro se et suis heredibus ac successoribus universis predictam transactionem et **omnia et singula supra**-[130]-dicta laudavit et approbavit, rata **atque grata** habuit et in eis consentiit. Et predicta omnia sub hypotheca et obligatione omnium bonorum suorum promisit et **super sanctis Dei euvangeliis ab ipso corporaliter sponte** [131] **tactis** juravit attendere **et servare** et contra non venire ; quod si **faceret**, quod absit, voluit et concessit quod in judicio et extra nullathenus audiatur, **set quod omnis audientia sibi denegari valeat tamquam** [132] **venienti contra suum proprium factum** ac etiam juramentum ; volens et concedens dictus Johannes se posse et debere compelli ad attendendum predicta per curiam et curiales **dicti domini nostri regis**, videlicet per bonorum suorum captionem, [133] **distractionem**, saysinam et venditionem, in quam et quos consentiit tamquam in suos judices ordinarios et se et omnia bona sua juridictioni, districtui, compulsioni et cohortioni eorumdem, necnon **et vigori et districtui dicti sigilli** [134] **regii supposuit** pro predictis omnibus et singulis attendendis et inviolabiliter observandis cum omni juris renunciatione ad predicta necessaria pariter et cautela. Acta fuerunt hec anno, die, loco et testibus supra proximis, et prefato magistro Andrea Garralis **notario regio predicto**, [135] per

5. On attendrait ici « ad ».

quem de predictis dictus Johannes petiit et etiam fieri concessit publicum instrumentum ad opus ejusdem et dominorum castri Sancti Agrippavi predictorum qui predictis omnibus et **singulis presens fui** [136] et **predicta omnia** et singula notarii.

De quibus quidem notis, post decepsum [...] [137] notarii, [ego] Petrus Ariburui clericus auctoritate regia

[notarius] publicus comissarius deputatus in notis et protocollis predicti condam notarii, hoc presens instrumentum publicum hiis duabus pellibus pergameni simul [...] [138] [...], scripsi et [...] mea propria et signo meo quo utor consueto signavi in robur et testimonium omnium et singulorum premissorum (seing manuel). »

Texte restitué par Virgile Reignier (6).

6. Nous tenons à remercier chaleureusement les Professeurs Nicolas Carrier et Olivier Guyotjeannin pour leur aide précieuse dans l'établissement de cette édition.